



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Nonnulla Principia per se nota explicantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

Etum attributionis. Metaphysicam purè esse speculatiuam, constat, quia nec ratio en-
it: ut sic, nec Deus nec Angeli (quæ sunt omnia illius obiecta) fieri possunt ex vi cog-
nitionis Metaphysicæ, ut per se constat: non est animus in presenti de Deo & Angelis
disputare, id enim ad Theologos reijcimus, & Deo ipso dante, primo Tomo in 1. Par-
tem de illis agam: solùm ergo agemus de ente ut sic, eius passionibus, & illius diuisio-
ne in decem Pradicamenta; tandem nonnulla de ente rationis vero enti contrario per-
stringemus.

Nonnulla PRINCIPIA per se nota explicantur.



ANTEQUAM ad particulares Dis-
putationes Metaphysicas descen-
damus, oportet hîc explicare
principia aliqua generalia, quæ
Metaphysica veritates dicuntur,
quibus postea in argumentatio-
nibus vtitur passim. Possunt autem assignari
quatuor. Primum est: *Quæ sunt eadem vni ter-
tio, sunt eadem inter se.* Secundum est: *Dicitur de
omni, & dici de nullo.* De his egi fusè Disput. III.
Summul. à num. 16. neque nouum aliquid oc-
currit circa illa. Tertium est: *Quodlibet est vel
non est.* Tò quodlibet significat non solùm entia
realia, sed quidquid apprehendi mente potest,
vel voce proferri, vt Deus, Chimæra; de quoli-
bet enim est verum dicere, *Deus est vel non est*;
Chimæra est vel non est. Significat autem vnum
ex illis duobus necessariò ei conuenire. Vbi ad-
uerte, hoc principium non intelligendum de di-
uersis prædicatis etiam contrariis, v. g. *Quodlibet
est album vel nigrum, Quodlibet est calidum vel
frigidum*; aut negatiuè, *Quodlibet est album, vel
non est nigrum*; in hoc enim sensu falsum esset il-
lud principium: debet ergo semper accipi cum
eodem prædicato, v. g. *Quodlibet est existens vel
non est existens, Quodlibet est album vel non est al-
bum, Chimæra est possibilis vel non est possibilis.*
Ratio à priori est, quia inter esse & non esse de eo-
dem prædicato nullum datur medium: ergo
vnum ex illis debet necessariò cuiuslibet conuenire.
quod lumine naturæ ita est certum, vt vix am-
plius possit declarari.

Quartum principium est: *Impossibile est idem
simul esse & non esse.* Circa hoc principium magna
est apud aliquos disceptatio, quomodo intelli-
gendum, & an sit idem cum tertio, *Quodlibet est
vel non est.* Iauellus apud Suarez Disputatione 3.
Metaphysicæ scet. 3. à num. 5. putat, hæc duo
principia idem esse. Eum Suarez ibi omnino re-
iicit, censet enim esse diuersa, quia tertium signi-
ficat immediationem eorum, *Vel est vel non est*;
quartum autem significat oppositionem eorum
inter se. Hurtadus verò Disputatione 3. Meta-
physicæ §. 22. opinatur, ea principia esse idem, si
applicentur terminis contradictoriis, v. g. *Est,
Non est*; vbi idem est, debere esse vnum ex illis,
ac, non posse esse vtrumque: si verò applicentur
terminis contrariis, esse ea principia diuersa; nam
non est impossibile, hominem esse album, & ni-
grum simul: quo videtur hæc secunda pars suf-
ficienter probata. Primam autem sic probat: quia
oppositio contradictoria & immediata sunt prorsus
idem; ergo idem est, non posse duo contradi-
ctoria esse simul, ac necessariò debere esse vnum

ex illis. Hæc mihi. Ego aliter in hoc puncto dis-
currendum puto; & ni fallor, in prædicta ex-
plicatione commissa est aliqua æquiuocatio. Vnde
dicendum est, illud principium, *Impossibile est
idem esse & non esse*, non posse applicari terminis
contrariis: vnde non bene dicitur eis applicatum
non esse idem cum tertio. Ratio est manifesta,
quam & paulò antè obseruauimus, quia illud princi-
pium, sicut & tertium, debet vturpari cum eo-
dem prædicato, verbis gratiâ, *Impossibile est homi-
nem esse album & non esse album, esse nigrum &
non esse nigrum, esse viridem & non esse viridem.*
tunc autem non applicatur contrariis. At dicere,
*impossibile est hominem esse album & non esse viri-
dem*, quia variatur hoc prædicatum, non est prin-
cipium vniuersale Metaphysicum, & multò mi-
nus habet locum exemplum allatum ab eodem
ibi; scilicet, *Impossibile est hominem esse album
& nigrum*; nam in hoc exemplo ponitur duplex
copula affirmatiua, *esse album, esse nigrum*. At
principium illud dicit, repugnare, esse copulam
affirmatiuam & negatiuam; quomodo ergo hoc
exemplum ponitur pro eo principio? Rationem
huius doctrinæ facile ego à priori reddo: nam
hæc principia Metaphysica vniuersalia debent
esse talia, quæ ex se & ex terminis ostendant suam
veritatem; at, nisi ponatur affirmatio & negatio
eiusdem prædicati, non ostenditur ex terminis
eius principij veritas (quomodo enim ostenditur
ex terminis necessitas albedinis aut nigredinis in
subiecto, aut repugnantia vtriusque? hoc enim
pertinet ad proprias particulares scientias, vbi de
eis formis agitur, & de earum oppositione inter
se) vnde in eo sensu non sunt principia vniuersa-
lia, desumuntur enim ex particularibus scientiis.
At, quando ponitur negatio ipsiusmet prædicati,
ex terminis patet veritas illius principij, etique
vniuersale: & licet termini sint physici, probatio
tamen est metaphysica, nam posse esse & non esse
simul non probatur ex principiis physicis. Item,
licet agere de calore pertineat ad physicum, vnde
rursus, agere, an idem possit esse simul calidum,
& frigidum non ex metaphysicâ, sed ex physica
probandum sit. hominem tamen non posse esse
simul album, & non esse album, vel esse nigrum,
& non esse nigrum, non probatur à physica, sed
à metaphysicâ, ergo hæc principia non intelli-
guntur, neque applicantur ad terminos contra-
rios, sed ad manifestè contradictorios. Hinc rur-
sus infero malè ad probandam veritatem horum
principiorum afferri exempla hæc, scilicet *non po-
test homo mori & viuere, vigilare & dormire*, hæc
enim exempla eo ipso quod mutant prædica-
ta, v. g. *vigilare & dormire*, non pertinent ad ipsa
prin-

principia, sed debuisse dixisse, dormire & non dormire, vigilare & non vigilare: nam disputare, vtrum vigilare sit oppositum dormire, non ex his principiis, sed aliunde probandum est.

Secundo circa hæc principia dicendum est, si ea applicentur (vt voluit Hurtadus) terminis contrariis, non esse semper falsum illud secundum, *Impossibile est idem esse simul & non esse*: nam licet possint in albedine & nigredine diuinitus coherere, non tamen omnia contraria possunt coherere; impossibile enim est, hominem simul assentiri & dissentiri eidem obiecto, item amare & odio habere efficaciter iuxta communem sententiam) prætere, hominem esse Diuinitate vnitum, & simul in peccato mortali. Vnde, non est verum, omnia contraria posse simul diuinitus coherere.

Tertio tandem dicendum puto, etiam in prædicatis contradictoriis non esse ea duo principia idem omnino, in quo acquiesco P. Suarezio contra Iauellum & Hurtadum. Probo autem manifestè explicatione ipsorum principiorum, diuersa enim veritas est, hæc duo non posse coherere simul, ab ista, necessarium est vt vnum ex duobus existat. Licet enim de facto vtrumque sit verum, (& hoc do Iauello & Hurtado) non propterea infertur, esse eadem principia, aut eandem omnino veritatem; sic etiam est verum necessarium, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, & tamen non propterea est eadem veritas cum hac, *Quodlibet est vel non est*. Esse autem eas veritates disparatas, manifestè ostendo: quia si essent veritates inter se formaliter connexæ, in quacumque materia applicarentur, eandem haberent veritatem. Vnde sicut est verum, quia quodlibet est homo vel non est homo, idem non potest esse simul homo & non esse homo, aut e contra; ita etiam esset verum, quia Petrus vel Ioannes currit, idem non potest vterque currere, quæ tamen causaliter mala est. Ratio desumitur ex dictis à me in Summulis; quod scilicet propositio disiunctiua, est albus vel niger, licet non requirat ad sui veritatem nisi vnum ex duobus, adhuc tamen est vera, licet vtrumque haberet, vnde licet esset albus & niger, esset verum, est albus vel niger, ergo cum illud principium, *Quodlibet est vel non est*, sit disiunctiuum, & solum dicat, vnum ex illis necessarium conuenire cuilibet, non idem negat, posse vtrumque simul conuenire: vnde, licet per impossibile negatio & forma possint esse simul, adhuc illud primū principium, *Quodlibet est vel non est*, deberet esse verum, secundum autem, scilicet, *Non potest idem simul esse & non esse*, foret falsum.

Ad obiectionem è num. 3. respondeo, hoc

principium, *Quodlibet est vel non est*, non fundari in oppositione immediatâ eorum terminorum, sed in eo, quod inter vtrumque comprehenditur, quidquid potest concipi de vnâ re, quia de illâ non potest concipi nisi vnum ex illis duobus. vnde infertur, cuilibet conuenire vnum ex illis duobus, quia non est excogitabile aliquid aliud tertium quod eis conueniat. Secundum verò principium, *Impossibile est, idem simul esse & non esse*, non fundatur in eo, quod omnia quæ possunt concipi, comprehendantur illis duobus terminis, sed in eo quod illa duo inter se summè repugnent, & vnum excludat formalissimè alterum. Vides ergo & principiorum diuersitatem & fundamenta à priori eorum diuersitatis.

Confirmo hoc euidenter hominem non posse habere simul albedinem & eius priuationem, probatur ex hoc secundo principio, *Impossibile est idem simul posse esse & non esse*, quia forma & priuatio se contradictoriè negant: at hic non habet locum illud aliud principium, *Quodlibet est vel non est*, id est, *quodlibet est album aut habet priuationem albedinis*, quia Angelus nec habet priuationem albedinis, nec est album. Cuius ratio est ea, quam nos supra posuimus, quia priuatio & albedo non sunt omnia quæ de vnâ re concipi possunt, nam præter illa potest concipi carentia albedinis, quæ non sit priuatio. Idem non valet, Vel est priuatio albedinis, vel albedo, valet autem, *Impossibile est simul esse albedinem, & eius priuationem*; quia non obstante quod illi duo non sint termini complectentes omnia, sunt tamen se contradictoriè negantes, ergo veritas illius principij disiunctiui fundatur in diuersâ ratione à veritate huius, *Impossibile est idem simul esse & non esse*.

Vnde tandem inferes contra aliquos oppositionem contradictoriam non esse immediatam: nam forma & priuatio opponuntur contradictoriè, & tamen non immediatè, habent enim medium, id est carentiam puram. Idem est de odio & amore, inter quæ datur medium, & tamen simul esse non possunt.

Dices: In subiecto capaci opponuntur immediatè forma & priuatio. Sed contra, quia hic loquimur de oppositione vniuersali in omni subiecto, agimus enim de illis principiis vniuersalibus, *Quodlibet est vel non est*, &c. Item oppositionem habent illa duo in quolibet subiecto, in quolibet enim simul repugnat esse albedinem, & eius priuationem: non autem est necessarium vt in quolibet sit vnum ex illis duobus, ergo oppositio contradictoria non est immediata absolute. Et hæc de his principiis.

DISPUTATIO PRIMA.

De Ente, & eius attributis.

SAPIENS definimus, ens esse id, quod non repugnat existere. Quâ definitione omnia entia, modalia & realia, existentia & possibilia comprehenduntur, quia omnibus illis conuenit non repugnare, actu existere. Pro quo aduerte, non repugnare, existere ita posse sumi, vt includat actualem carentiam

existentiæ, vt sic autem non pertinet ad definitionem, quia non est de conceptu entis actu non existere: vel posse sumi præcisè pro non-repugnantia ad existendum, siue coniunctâ cum non-existentiâ, siue cum existentia, & sic sumitur in hac definitione, includitque omnia entia.

Aduerte Secundo, benè obseruatum à nonnullis, ens vt sic, prout præcisum ab existente & possibile,